



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Cvrsvs Theologici ...

Ea Brevitate Conscriptus, Qvam Tot Tantarvmqve Rervm Amplitudo Et
Varietas Patitvr ...

Quas Secunda Secundæ Et Tertia Pars Divi Thomæ Complectitvr -
Qvæstiones Insvper Ad Mores, & praxim spectantes, maximè circa
Sacramenta, accuratè declarantur

Carleton, Thomas Compton

Leodii, 1664

Sectio I. Annotantur quædam circa censuras in genere.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13826

DISPUTATIO NONAGESIMA NONA.

De Censuris.



VT corpori, ita anima sua sunt vincula, quibus implexa & irretita, ac veluti compedibus constricta, suos ritè formare gressus, & ad finem sibi prae fixum pertingere non potest, suaque eo quo par est modo obire munia. Hac porrò vincula duplicia sunt, peccata nimirum & Censura Ecclesiastica: de illis toto superiore de Pœnitentiâ tractatu fusè diximus, & quo pacto animam, non ligent tantùm, sed, mortifera si sint, vitâ insuper spolient, æternique ream supplicii efficiant, qua demum ratione ab iis homines liberentur monstravimus. Nunc ergo de secundo vinculo- rum genere, Censuris scilicet, agendum, & quot quaque sint, quo etiam pacto nodis suis ac nexibus hominum animos illaqueent decla- randum, via denique & ratio qua solvantur, usq; innexi & implicati libertati denuo restituantur aperienda; hac quippe cum superioribus maximam habent connexionem, scituque iis perquam sunt necessaria, qui confessionibus excipiendis dant operam; nec enim munus suum ritè obire, plenèque animarum saluti consulere possunt, nisi in hoc de Cen- suris tractatu apprime sint versati, & suam quisque hac in parte po- testatem norit; neque enim à Censuris absolvendi par omnibus est facultas, sed alius plus, alius minus pro superiorum arbitrio in hoc genere potest. Hic proinde tractatus tractatui de Pœnitentiâ neces- sariò est subjungendus.

SECTIO PRIMA.

Annotantur quaedam circa Censuras in genere.

I.

Non est me-
rè pœna me-
dicinalis.



QUÆRES primò: Quid, & quotu-
plex sit censura? Suarez tom. 5. in
3. part. d. 1. sect. 1. Coninck disp. 1.
num. 8. Layman lib. 1. tract. 5. c. 1.
& 2. & alii in hoc statuunt naturam
censuræ, quòd sit pœna medicinalis, quæ proinde
resipiscente reo auferri debeat. Sed contra, nam

suspensio imponitur subinde per annum, ergo non
in hoc situs est conceptus censuræ quòd tolli
debeat cessante contumaciâ.

Censura itaque propriè dicta est pœna ab *Ejus natura*
Ecclesia constituta privans usu quodam bonorum *declaratur.*
spiritualium: ita Bonacina de Censuris d. 1. q. 1.
num. 1. & insinùare videtur Tannerus d. 6. q. 10.
n. 15. Filiucius tr. 11. c. 1. n. 4.

Hinc ad secundum, licet communis sententia *Tres ut plu-*
tres tantùm dicat esse censuras, nempe Excom- *riuum nu-*
municationem, Suspensionem, & Interdictum, *merantur.*
mihî tamen probabilius videtur cum Soto &
aliis nonnullas præterea alias pœnas dici posse
Censuras,

Censuras, & peculiariter irregularitatem ex delicto.

II. Quæres secundò: A quò, & in quos ferri possit Censura? Ad primum Resp. in Pontifice sit tam primatiò esse hanc potestatem, deinde in Episcopis omnibus habentibus proprios Episcopatus, qui omnes habent potestatem hanc ordinariam, utpotè quæ ad eorum munera obeunda apprimè sit necessaria, cum judicare debeant & reos punire: ita Suarez d. 2. sect. 3. Filiucius tr. 11. cap. 2. n. 30. & 31. Layman tract. 5. c. 3. Bonac. d. 1. q. 1. p. 2. n. 5.

Quibus communicari possit potestas delegata ferendi Censuras? Inprimis debet esse baptizatus: deinde clericus sit oportet, ut ad minimum habeat primam tonsuram, licèt de plenitudine potestatis possit Pontifex potestatem laico concedere ferendi Censuras, cum contrarium solum sit de jure humano, in quo dispensare potest Pontifex: ita Bonacina p. 2. n. 5. Suar. disp. 2. sect. 3. num. 11. Filiucius cap. 2. num. 36. & 37. Layman cap. 3. num. 2. Qui tres postremi aiunt posse similiter à Pontifice de plenitudine potestatis idem concedi fecminæ.

Quomodo ligari possit Censuris. Quoad secundum ut quis ligetur Censura debet inprimis esse subditus: ita Suarez d. 5. s. 2. n. 16. Filiucius cap. 5. n. 134. Bonacina p. 4. n. 8. Laym. c. 4. Unde nemo seipsum ligare potest censuris, defectu superioritatis, nec æqualis æqualem. Summus item Pontifex liber est ab omni censurâ, cum neminem habeat superiorem.

Quomodo non possint. Deinde debet esse baptizatus, viator, & qui aliquando usus sit ratione. Ethnicus itaque ligari nequeunt Censuris, sic tamen hæretici & apostata. Mortui etiam directè excommunicari nequeunt. Tandem potest animalia dicuntur excommunicari, excommunicatio sumitur pro imprecatione quâ iis à Deo interitum precamur: ita Auctores citari.

III. Quæres tertio: An persona ligata unâ Censurâ ligari simul possit aliâ, & quo modo? Resp. posse, idque non tantum Censuris diversæ rationis, sed etiam ejusdem, ut excommunicatus à jure potest accedere nova contumaciâ excommunicari ab homine. Imo ulterius potest quis vel ob eandem culpam excommunicari à pluribus quibus subest, vel ob diversas culpas ab eodem: quibus casibus novo titulo privatur iisdem bonis, sicut per novum peccatum mortale privatur quis eadem gratiâ: ita Suarez disp. 5. sect. 2. Filiucius tract. 11. c. 5. n. 139. Bonacina d. 1. quæst. 1. p. 5. & alii.

Ob eandem etiam numero actionem duas habentem species morales, sicut ex. gr. & sacrilegium, duæ incurri possunt excommunicationes, aut aliæ censuræ, si propter ejusmodi actionem ferantur.

IV. Quæres quarto: An, & quâ admonitio requiratur ad ferendam Censuram, & an ignorantia ab eâ incurrendâ excuset? Ut Censura, saltem excommunicationis, validè feratur requiritur de facto aliqua admonitio, idque sive ab homine feratur, sive à jure. Puto tamen posse Ecclesiam excommunicationem in reos ferre, nullâ admonitione præmissâ. Ad alias Censuras non adeo rigorosè requiri videtur admonitio: ita Suarez disp. 3. sect. 8. & 12. num. 4. Filiucius cap. 4. numero 83. Coninck disp. 13. dub. 9. Layman libro primo, tract. 5. cap. 5. num. 4. Bonacina distinct. prima, quæst. prima, punct. 9. & alii.

Ratio primæ partis est quia statutum est ab Ecclesiâ, ut Censura non feratur nisi in contumacia contra Ecclesiam vel Superiorem, contumacia autem sine aliquâ monitione consistere non potest. Notandum tamen quando à jure vel ab homine fertur Censura pro delictis futuris ipso facto incurrendâ, non requiri admonitionem à Lege vel prohibitione distinctam, ipsa quippe lex & prohibitio cognita per se admonet; alioqui nulla Censura incurreretur ipso facto. Suarez tamen Layman & alii existimant quando sit comminatoriè pro delictis futuris sub penâ Censuræ tantum ferendæ, requiri novam admonitionem, quod Filiucius, Bonacina, & Sanchez l. 2. de Matrimonio, d. 24. sine negant. Sententia tamen Suarii est juri conformior, nam cap. *Reprehensibilis* de Appellationibus, solum excipitur à denuntiatione, quando Censura est ipso jure lata.

Fieri etiam debet admonitio sub comminatione Censuræ, alioqui non est completa contumacia contra claves, unde sola ignorantia Censuræ excusat ab ea incurrendâ: ita Suarez sect. 9. Sanchez l. 9. de Matrim. d. 32. num. 137. Coninck citatus & alii contra Covarruvium.

Hæc admonitio juxta præscriptum juris, ut omnino justè feratur Censura, debet per se loquendo esse trina, interposito inter singulas duorum aut trium dierum spatio, vel saltem una æquivalens tribus, ut si judex sex dies tanquam admonitionis terminum concedat, significans hanc admonitionem esse loco trium.

Fieri debet admonitio ipsi reo coram testibus idoneis, vel si is latoat, fieri eam oportet domi ipsius, aut, si hoc præstari nequeat, in loco aliquo publico, ut in templo præcipuo.

Si tamen mali impendentis necessitas urgeat, potest judex, una propositâ admonitione, statim ad sententiam seu Censuram ferendam progredi, quod, si sine urgente necessitate faceret, graviter peccaret, Censura tamen esset valida, exceptâ Censurâ ab homine latâ contra participantes cum excommunicatis.

Hinc inferitur ignorantiam juris, facti, aut etiam poenæ, modò affectatâ, aut crassa & supina non sit, excusare à Censurâ, ut si quis percutiat clericum ignorans vel hunc esse clericum, vel hoc ab Ecclesiâ prohibitum esse, vel tandem Censuram latam esse contra clericum percussorem. Et idem de naturali oblivione & inconsideratione dicendum est: ita Suarez disp. 4. sect. 8. num. 11. & sect. 9. n. 19. Sanchez lib. 9. de Matrim. d. 32. num. 21. Filiucius tract. 11. c. 8. q. 10. Layman l. 1. tract. 5. c. 5. n. 7. Bonacina d. 1. q. 2. p. 1. Coninck d. 13. d. 10. n. 91.

Quæres quinto: Num appellatio excuset ab incurrendâ Censura, & an suspendatur Censura per voluntatem illius, in cujus favorem lata est?

Resp. Appellationem legitimam (id est factam ex probabili & sufficiente causâ, vel saltem bonâ fide sic existimatam) excusare ab incurrendâ Censurâ, si fiat ante latam Censuram, quando fertur absolute, vel ante expletam conditionem, si feratur sub conditione. Si ergo hoc modo feratur Censura, Præcipio sub penâ excommunicationis ut compareas intra mensem, suspenditur Censura si reus ex probabili causâ quovis tempore ante elapsam terminum præfixum appellet, quamvis Abbas contra communem sententiam dicat appellare debere intra decem dies. Eo ipso autem quod appellet à Censurâ, appellat etiam à præcepto, unde non peccat non comparendo.

Ccc 4 Sufficit

Ratio est, quia Censura non feratur nisi in contumacia non feratur nisi in contumacia

Quot esse debeant admonitiones.

Ubi & quâdo fieri debeant admonitio.

V.

Appellatio legitima excusat.

Primariò à Pontifice & Episcopis.

Quibus communicari possit potestas delegata.

Quomodo ligari possit Censuris.

Quomodo non possint.

Respondetur affirmativè.

Aliqua ordinariè requiritur.

Sufficit autem ad appellationem si quis nesciens appellare iter inchoet versus Pontificem, aut se ejus protectioni committat, vel superioris imploret auxilium: ita Suarez disp. 3. sect. 6. Filiuc. tract. II. c. 3. n. 78. Henriquez lib. 13. cap. 16. Layman t. 5. c. 6. n. 2. Bonac. d. 1. q. 2. p. 2. & alii.

A sententiâ declaratoriâ Censurâ incurſâ potest quis appellare post illam latam, illa enim non est censura, hac autem appellatione factâ, excommunicatus ille non est vitandus, & similiter gesta ab eo post appellationem sunt valida, modò delictum non sit adeo manifestum, ut nulla tergiversatione celari possit.

Suspenditur per illius voluntatem.

Quoad secundum Respondetur etiam affirmative, unde si in favorem Titii creditoris lata sit sententia excommunicationis in Petrum si intra mensem non solvat debitum, si Titius hebdomadam aut alium mensem concedat, hac prorogatione factâ differtur censura, nec incurritur, nisi post terminum à creditore statutum non restituat: ita Suarez disp. 3. sect. 6. n. 8. Filiucius cap. 3. n. 80. Coninck d. 14. d. 16. n. 199. Bonacina d. 1. q. 2. p. 4. contra Navarrum, Sayrum & alios quosdam. Ratio est, tum quòd debitor ante terminum prorogationis elapsum non est contumax: tum quia sicut cessante causâ excommunicationis ante eam latam, cessat se non incurritur excommunicatio, ita eadem dilatâ causâ differtur.

Unde idem existimo contra Navarrum licet prorogatio fiat infcio iudice, sicut non omnino incurreretur excommunicatio si infcio iudice cessaret penitus causa ob quam fertur. Nec ad hoc requiritur iurisdicção in creditore, cum solùm indirecè suspendat censuram.

VI.

Ad gravem Censuram debet esse peccatum mortale.

Quæres sextò: Ob quam causam validè ferri possit censura? In primis causa debet esse culpa aliqua, cum censura sit pœna: deinde non debet esse actus merè internus, cum hic non substat iudicio Ecclesiæ, sed solius Dei: tertio, ut fertur gravis censura debet esse peccatum mortale; pœna enim ut justa sit, proportionari debet culpæ: quartò, opus ob quod fertur censura debet esse completum, unde emittens sagittam in clericum, si vel naturaliter vel supernaturaliter impediatur quo minùs ipsum feriat, non incurrit excommunicationem latam contra occidentem, vel graviter percutientem clericum. Quod à fortiori verum est de mandante, & consulente: ita Suarez d. 4. cap. 4. num. 2. Coninck d. 13. d. 8. n. 66. Filliu. tract. II. cap. 6. num. 158. & tract. 12. c. 1. num. 28. Layman lib. 1. tract. 5. cap. 5. Bonacina d. 1. quaest. 1. p. 3. & alii communiter.

Tandem nec ob quodcumque peccatum etiam externum de facto infligi potest censura, ut supra vidimus, sed intercedere debet contumacia respectu Ecclesiæ, licet hanc essentialiter & ex natura censuræ non existiment multi esse necessariam: ita Auctores citati.

SECTIO SECUNDA.

Alia quadam de Censuris generatim sumptis.

I. Censura injusta quoad rem non ligat.

QUÆRES primò: Quomodo liget censura injusta? Duobus modis injusta esse potest, affectu & effectu: affectu, ut si malo animo à iudice fertur, ut ex irâ, odio, &c. & tunc, si reliqua serventur, certum est ligare.

Injusta effectu triplex est, quoad rem, quoad modum, & mixta. Injusta est quoad rem seu nulla quando vel omittitur aliquid substantiale, ut si feratur parte non citatâ, aut non auditâ, post appellationem legitimam, ab eo qui non habet auctoritatem, si contineat errorem intolerabilem, ut si excommunicatio fertur ob rem levem, vel quæ nullum omnino peccatum sit. Hanc censuram certum est non ligare, nec esse timentam.

Injusta quoad modum est cum omittitur quid accidentale, ut si non præmittatur trima monitio, si non feratur scripto, &c. Hanc censuram certum est ligare, cum simpliciter justa sit: & de hac intelligitur celebre illud dictum S. Gregorii, *Sententia Pastoris sive justa sive injusta fuerit, timentanda est*: licet intelligi etiam possit de censurâ injustâ affectu.

Mixta tunc contingit quando is, in quem fertur censura est reipſa innocens, secundum allegata tamen & probata reputatur nocens, & de hac præcipuè procedit quaestio.

Jurisperiti passim asserunt censuram sic latam esse validam. Sed melius negant Theologi, cum ratio ob quam fertur non subsistat. Unde hoc modo excommunicatus non privatur suffragiis Ecclesiæ, potest privatim celebrare, nec hoc faciendo redditur irregularis, & cum iis qui norunt sententiam esse injustam potest privatim agere quasi excommunicatus non esset, imò & cum aliis etiam publicè iis in locis in quibus non scitur esse excommunicatus: ita Suarez d. 4. de censuris f. 7. num. 13. & 40. Coninck d. 13. dub. 13. numero 116. Bonacina d. 1. q. 1. p. 10. num. 4. Filliv. t. II. c. 8. num. 224. & 227. Layman l. 1. t. 5. c. 6. num. 3. & alii.

Non ligat Censura sive mixta.

Quæres secundò: De modo quo fertur censura, nempe à jure vel ab homine, latæ sententiæ vel ferendæ, verbo, scripto, &c. Censura à jure ea est quæ fertur instar legis; seu perpetuò duratura, unde non cessat morte latoris, & vocatur statutum. Ab homine illa est quæ fertur per iudicem aliquem, non instar legis, nec perpetuò duratura, sed solùm instar mandati, unde eo qui illam tulit vel physicè, vel civiliter morientè expirat, & vocatur sententia: quamvis statutum seu censura à jure lata subinde vocetur sententia generalis: ita Coninck d. 13. d. 2. num. 11. Fill. cap. 3. num. 48. Bonacina d. 1. q. 1. p. 1. n. 5. Layman c. 2. n. 2. & alii.

II.

Censura lata sententiæ est quæ ipso facto incurritur: sententia ferendæ, quæ & comminatoria dicitur, ea est quæ per iudicem præcipitur infligenda. Quando sit latæ sententiæ extenore verborum iudicandum, si nimirum sint in præſenti, ut cum excommunicationis vinculo innodamus: item si dicatur ipso facto, ipso jure, eo ipso excommunicatus, &c. sententiæ verò ferendæ signa sunt verba quæ ad iudicem diriguntur præcipiendo quid agendum sit, & illius actionem significat, vel tempus futurum, ut quisquis hoc fecerit excommunicetur, excommunicationem incurret, &c. item si aliquid præcipiatur vel prohibeatur sub pœnâ excommunicationis.

Prædicta particula declaratur.

Præterea censura alia est absoluta, alia conditionata, hac verò nisi conditione purificatâ non incurritur: unde si hoc modo fertur, quisquis tale factum commiserit, nisi intra mensem restituat sit ipso facto excommunicatus, si intra tempus illud vel legitime appellet, vel iudex moriatur, aut defungatur officio, vel ejus iurisdicção suspendatur,

Censura absoluta & conditionata.